

tem, & fluctuum marinorum strepitum, haut parùm adver-
santes instituto suo habuissent; secundâ tertiâque vice ex eo-
dem Castello Deal usque ad stationem navium regiarum
delatam esse vocem clarè percipiendam intercapedine inter
duo & tria mill. Angl.

V. Vix pervenerat rei novæ fama & Morlandi narra-
tio ad exterorum aures oculosque, cùm plura curiosa ingenia
passim, *Ciampini* Romæ in Italia, *Denis & Cassegrain* in Gal-
lia, anno proximè sequente, ejus caperent experimenta, &
paulò post Norimbergæ nostræ Bracteatores etiam hujus-
modi tubas è laminis ferreis tenuioribus stanno obductis
concinnare satagerent & felici quidem successu. Inprimis au-
tem (quod Problema *Morlandus* in fine sui discursûs eruditus
resolvendum proposuerat) in accuratioribus & efficaciam huic
augendæ accommodatioribus dimensionibus & proportio-
nibus longitudinis, aperturæ, hujusque gradatim succeden-
tium incrementorum &c. demonstrandis cœperunt desuda-
re Viri Docti, ejusque rei specimen egregium edidit *Dn. Casse-
grain* in Memoriali IX. superiùs laudati *Dn. Dionysii*: Qui
ipse quoque, proportionis aptioris interventu id obtinuisse se
eodem loco testatur, ut fabrefacta Parisiis tuba 5. pedes longa
longiùs efferret vocem, quàm alia ex Anglia submissa 7. pedd.
eandem eodem tenore emissam.

VI. Sic igitur inventi gloria *Morlando* Equiti debe-
tur absque dubio, quicquid etiam sit de similibus tubis diu
antè in choris musicis pro Bassi, quem vocant, voce adau-
genda adhibitis, uti comprobatur exemplis Memor. alleg. si-
quidem earum sive authores sive fabricatores de illo usu,
quem *Morlandus* unicè intenderat, emittendæ longiùs vo-
cis & ex magnis locorum intervallis colloquendi, ne cogita-
verant quidem. Nec obstat illi quidquam quod ex *Atha-
nassi Kircheri* Arte magna Lucis & Umbræ allegant, *Alexan-
drum Magnum* certum cornu habuisse tam intensi soni, ut illo
totum

T

totum